

Etiam hoc raptoris in ipſa abductione conſummetur, & tunc perfectè irrogetur Matrimonii libertati injuria: nec conſilium ſpectet, ut raptor in aliquo loco jam raptam conſtituerit, vel eam duxerit, ſed tantum ut raperit cauſa Matrimonii, illamque ſub ſua poteſtate reſpoſuerit.

XII. Quia Synodus permittit Matrimonium raptæ cum raptore, ſi illa in loco tuto ac libero extra poteſtatem raptoris conſentiat, creditur à plerisque, Synodum tantum hoc Decreto comprehendiffe raptum, qui ipſi raptæ violentiam inferret, & quo ipſa cum reſiſſu & violentia corporali raptur cauſa contrahendi Matrimonium; neque eſſe raptum ad mentem Synodi, ſi quis aliquam vel aliquem minorem blanditiis, & amatoris incitamentis ac lenociniis ſeducat, ut conſentiat, & inſciis aut etiam invitis parentibus Matrimonii contrahendi cauſa recedat; quod ipſi ſeductæ nulla violentia illata videatur; ipſaque licet mediis inhonestis ac fallacibus inducta, revera conſenſerit: hæcque interpretatio hiſce in regionibus recepta videtur; neque hujusmodi Matrimonia invalida habentur.

XIII. In Gallia, verò duplicem raptum diſtinguunt; alterum per ſcilicet per violentiam ſive per vim apertam, rapiendo violentè perſonam cauſa Matrimonii contrahendi; alterum verò vocant per ſubornationem ſive ſeductionem; huncque frequentiore & periculoſiore dicunt; committiturque quando raptor corrumpit & ſeducit mentem & ſpiritum perſonæ raptæ, & per lenocinia & incitamenta libidinis, aliave allicitia inhonestamotiva, & occultas ac artiſcioſas ſolicitationes & praxes inducit ad conſenſum matrimoniale.

XIV. Raptus hic ſubornationis ſive ſeductionis locum non habet in omni genere perſonarum; ſed tantum in filiis familias minoribus, qui magis ſunt ſubjecti ſeductioni, & ob autoritatem parentum quibus ſubſunt, non creduntur potuiſſe ſeduci niſi eos circumveniando & corrupendo eorum mentem, quemadmodum latius deducit Claudius Blondæus in ſua Bibliotheca Canonica pag. 82. editionis anni 1689. ibidem adſtruens, Raptum hunc eſſe ex uſu Eccleſiæ Gallicanæ impedimentum, ipſiſque parentibus jus eſſe agendi ad nullitatem hujusmodi Matrimonium.

## TITULUS XIV.

### De Diſpenſationibus Matrimonialibus.

#### CAPUT I.

De Uſu Diſpenſationum Matrimonialium; & cui auctoritas diſpenſandi competat.

1. Impedimenta jure humano inducta poſſunt auctoritate humana tolli.
2. Imperatores impedimentis à ſe inductis diſpenſaverunt.
3. Canon Synodi Tridentina auctoritatem diſpenſando aſtruens.
4. Eccleſia primitus parè admodum diſpenſabat.
5. Primus fere diſpenſavit Innocentius III.
6. Facilius ſemper fuit diſpenſatio ſuper Matrimonio jam contracto, quam contrahendo.
7. Decretum Synodi Tridentina circa diſpenſationes ſuper impedimentis Matrimonii.
8. Ex mente Synodi raro diſpenſandum præfertim ſuper Matrimonii contrahendis.
9. Diſpenſatio non niſi ex juſta ratione, & cauſa cognita concedenda.
10. Auctoritas diſpenſandi ſuper impedimentis ditimentibus ferè ſoli Sedi Apoſtolice competit.
11. Auctoritas diſpenſandi competens Episcopo Leodienſi.
12. An eadem competat Episcopis Belgis.
13. Quando Episcopi poſſint diſpenſare in Matrimonio cum impedimento ditimente nulliter contracto.
14. Episcopus diſpenſat ſuper impedimento ſuperveniente jam matrimonio contracto.
15. Quid de impedimentis impedientibus tantum?

**I**n his quæ juris humani ſunt, nonnquam auctoritate eorum qui legè tulerunt, diſpenſari poſſe, nemo unquam dubitavit; atque de hac diſpenſatione rectè ſcripſit ad S. Anſelmum Cantuarienſem Paſchalis II. Episc. 42. "Diſpenſationis, modus, ſicut B. Cyrillus in Episc. Ephesine Synodi loquitur, nulli unquam Sapientum diſplicuit. Novimus ſanctos Patres noſtros, & ipſos Apoſtolos, pro temporum articulis, & qualitatibus perſonarum diſpenſatio-

nibus uſos." Plura in hanc rem videri poſſunt apud Gratianum *Causa 1. q. 7.*

Potè inter impedimenta Matrimonii plura hodie eſſe & jam pridem fuſſe, ſolo jure humano inducta ſuperiori titulo oſtenſum fuit. Hæc itaque eadem auctoritate, quæ conſtituta ſunt, vel generaliter tolli, vel in particularibus circumſtantis ſuſpendi poſſe, ut Matrimonium non obſtante hoc impedimento, licitè & validè contrahi queat, nemo dubitaverit, niſi qui inſiciari audeat, cum qui legem tulit, poſſe legem tollere, aut juſtâ cauſa interveniente diſpenſare.

II. Quapropter Imperatores dum nuptias inter certas perſonas lege generali veterunt, eas ex juſta cauſa inter hujusmodi perſonas permittere poſſe non dubitarunt.

Inter tutorem & pupillam Jure Romano vetitè erant nuptiæ; tota titulo Codicis. *De Interdicto Matrimonio inter pupillam & tutorem*; interveniente Principis auctoritate ſeu diſpenſatione nuptiæ inter pupillam & tutorem iniri poterant ut maniſeſtum eſt ex *l. penult. Cod. diſto titulo*.

Similiter, ut præcedenti titulo c. 5. notatum eſt, lege Theodoſianâ vetitè erant nuptiæ conſobrinorum, eas tamen impetrari potuiſſe reſcripto Principis oſtendit *Lex unica Cod. Theod. Si nuptiæ ex reſcripto petantur*; notatque Gothofredus in Commentario ejuſdem legis; unâ obſervans, S. Ambroſium *Episc. 66. ſat apertè teſtari*, hujusmodi nuptias à Principe impetrari potuiſſe.

III. Nemo ergo auctoritatem diſpenſandi Eccleſiæ negabit, qui auctoritatem ſtatuenti impedimenta ei competere agnoſcit; ut proinde merito Synodus Tridentina eodem Canone anathemate feriat eos, qui negant Eccleſiam in nonnullis impedimentis diſpenſare poſſe, quo damnat negantes Eccleſiam poſſe conſtituere ut plures gradus conſanguinitatis & affinitatis impediant & dirimant Matrimonium, quàm qui Levitico exprimitur.

IV. Fatendum quidem eſt, Eccleſiam olim in hoc, quemadmodum in aliis diſciplinæ articulis, raro admodum diſpenſare ſolitam fuſſe. Agre enim Patres à fixis ſemel Regulis ſive Canonibus recedi permittebant.

Et quidem ſi Chriſtiano Lupo credimus, etiam ſeculo 10. nulla tunc etiam Regia vel Auguſta, licet in ſexto dumtaxat aut ſeptimo ſanguinis vel affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longè minùs contrahenda Matrimo-

Matrimonia diſpenſabantur, ſed cuſta dirimebantur, juxta rigorem Sacrorum Canonum. Ejuſmodi diſpenſationes adeò tunc ignorabat Eccleſia [pergit Lupus] ut Francus quidam Româ redox, ſimilem ſibi datam aſſeverans à Gregorio III. Pontifice, ac ejus vigore præcedens inire Matrimonium, graviffimè ſcandalizant omnem Galliam, & à noſtro Apoſtolo Bonifacio, credente id recuſante, conſultus Zacharias reſponderit; *Abſit, ut Prædeceſſor noſter hoc ita credatur præcepiſſe. Nec enim ab hac Apoſtolice Sede illa dirigitur, qua contraria eſſe Patrum ſive Canonum inſtitutis reperuntur.*

V. Poſt hæc adjungit citatus Auctor: "Eorum impedimenta ferè primus diſpenſavit Innocentius tertius, Othonis quarti & Philippi pro Germanico Imperio horrenda bella quis ignoret? Poſt Philippi eadem lucidum erat Othonis jus, verum Philippi filia obiit. Hinc omnibus pacificandis Othonis cum illa filia conjugium convenire conſuevit Imperii Proceres ac Episcopi, quin & ipſi Apoſtolice Sedi Cardinales Legati, ſed obſtabat quartus conſanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius Imperialis Cleri & populi preces diſpenſavit laudatus Pontifex, eâ tamen lege, ut duo ampliffima Monaſteria Otto fundaret, omneque Imperium largis elemoſynis & ſerventibus orationibus iſtud Eccleſiæ diſciplinæ vulnus compenſaret. Ita habes apud Arnoldum Abbatem Lubecenſem in Chronico Sclavorum. Otto de ſancto Blaſio addit, quòd Cluniacenſis & Cisterciensis Ordinis Abbates eandem compenſationem per varia ſuorum Monachorum pia opera complere promiſerint, iſtudque Canonis vulnus acceperint in ſuas conſcientias, & quod ſpondere Otto debuerit ſingularum omnium Eccleſiarum deſenſionem, ac reſumptionem ſacri belli. Rima facta facile dilatatur, tandemque creſcit in grande foramen, imò & in apertam portam.

VI. Hæc tamen, uti monet idem auctor, intelligenda præcipue de diſpenſatione impedimentorum ad contrahendum Matrimonium; nam ante Innocentium III. multas diſpenſationes conceſſas fuiſſe fatetur; hæc omnes fuerunt autem non prævia ad contrahendum ſed dumtaxat poſteriores male contracti Matrimonii tolerantias; diſpenſationes, adeoque diſpenſationes prævias initiat, vit Alexander III. Innocentius III. ac ejus ſucceſſores viam ampliârunt.

Et revera Eccleſiam ſemper fuiſſe facilitorem in diſſimulanda infraſtione Canonum, ubi jam infraſtione contigerat, nec ſine magnis incommodis in totum reparari poterat, aut pœna infraſtione Canonis urgeri, quàm in concedenda Canonis non dum infraſtione contraventione, ex hiſtoriis, & Pontificum ac Conciliorum Decretis eſt maniſeſtum.

VII. Synodus Tridentina perpendens, quòd frequentius legem ſolvere, exemploque potiùs, quàm certo perſonarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud ſit, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire, ut loquitur *ſeſſ. 25. c. 18. De Reformat. reformati* oni Matrimonii intenta, avitam Patrum diſciplinam in concedenda diſpenſatione ſuper impedimentis reducere, quantum temporum conditio patiebatur, voluit, ſtatuens *ſeſſ. 24. c. 5. Reformat. Matrimonii*. "Si quis intra gradus prohibitos ſcienter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequenti careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile expariatur, cujus ſalubria præcepta temerè contempſit. Si verò ſolemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod poſtea ſubefſe cognoscatur, cujus ille probabilem i-

gnorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis Matrimonii vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

VIII. Hoc decreto ſat oſtendit Synodus, ſe voluiſſe inherere Patrum regulis; ut nunquam aut raro infrigendi Canonis licentia daretur, adeoque numquam aut raro, idque ex cauſa & gratis diſpenſatio, præcipue in ſecundo gradu, ſuper contrahendis concederetur; faciliùs autem ſuper contractis invalidè cum aliquo impedimento, ſi nimirum cum ignorantia non affectata aut non culpabili iſtius impedimenti contracta fuerint.

IX. Hinc ulterius patet; ex mente Synodi etiam hic ſervandam eſſe regulam, quam eadem Synodus poſtmodum *ſeſſ. 25. c. 18. expreſſit*, atque omnibus intimatam voluit his verbis: *Sciatis univerſi ſacratiffimos canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indiftinctè obſervandos. Quod ſi urgens juſtaque ratio, & major quantitate utilitas poſtulaverit, ut cum aliquibus diſpenſandum eſſet, id cauſa cognita, ac ſummâ maturitate atque gratis, à quibuſcumque ad quos diſpenſatio pertinet, erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

X. Quibus verò diſpenſandi auctoritas ſuper impedimentis Matrimonii competat, nec in Canonibus, imò nec in decretalibus Gregorii IX. determinatur; neque legitur aliquo decreto generali auctoritas hæc Episcopis adempta & Pontifici reſervata.

At conſuetudine tandem invaluit, & moderna habet diſciplinam, ut ſi agatur de impedimentis dirimentibus, & de Matrimonio cum tali impedimento contrahendo, ſoli Pontifici diſpenſatio competat; niſi Episcopi oſtendant, ſpeciali conſuetudine, aut privilegio diſpenſandi auctoritatem ſibi competere.

XI. Eccleſia Leodienſis præſtendit ſibi competere auctoritatem diſpenſandi in quarto & in tertio hinc in gradu conſanguinitatis, quemadmodum colligitur ex inſtrumento appellationis interjectæ per Syndicum Episcopi & Vicarii Leodienſis à decretis Nuntii Apoſtolici 7. Aprilis 1606. ubi *art. 10. his verbis utitur*: "Quod ad hæc Episcopi Leodienſis habeant antiquiſſimam & immemorabilem conſuetudinem diſpenſandi ex cauſis legitimis in quarto Matrimonii gradu, & in tertio, hinc inde, ſi imminens appareat periculum defectioſis partium, & vicinis fidei hoſtes, mutuz internecionis parentum, & amicorum inter ſe, ob corruptam puellam, & partes non habeant media recurrendi ad Urbem. Quod hujusmodi diſpenſandi conſuetudo in publicatione Concilii Tridentini fuit illuſtrata, & Reverendiſſ. Episcopo Vercellensi piæ memoriæ in his partibus Nuntio Apoſtolico per Livinum Torrentium tunc Vicarium Leodienſem, poſtea Episcopum Antuerpienſem factum, expoſita, & pet eundem Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Nuntium laudata, & approbata. Quod hujusmodi conſuetudo habeat vim privilegii, & indulti Apoſtolici, atque à privilegio & indulto Apoſtolico initium ſumpſiſſe cenſendū, da ſit. Quod Episcopus, & Eccleſia Leodienſis ob ſui ſplendorem, & antiquitatem, perpetuamque in fide Catholica conſtantiam, Eccleſiæ Romanæ filia dicta, aliàs multis à S. Sede adornata ſit privilegiis, & prærogativis ſupra alios communes Episcopatus.

XII. Hæc ex Zypæo in jure novo titulo *De eo qui cognovit conſanguineam uxoris n. 3.* additur: "Ac verò non audio vicinos aliquos Episcopos eodem jure, privilegio, aut conſuetudine uti, non eos quidem, qui noviter in Belgio inſtituti ſunt, intra eos limites, qui à finibus diœceſis Leodienſis, per Paulum IV. abſciſſi ſunt, 4. Idus Maji 1559. cum toto eo jure, auctoritate & prærogativis, quibus anteriores Episcopi, in locis dimembatis uſi fuerant, quòd fortè tamen poſſent, & an aliqui in-